

te, vel diocesim relinquente, in suo robore perpetuo durant. Idem *ibid.* lib. 8. c. 5. n. 1. Vide supra num. 42. 48. & 68. Nisi ab eodem Episcopo, ejusve successore revocentur, aut posteriorum synodorum constitutiones his adversentur. Idem *ibid.* num. 2. Non persistunt tamen, si nunquam moribus recipiantur, tolerant Episcopo, aut receptas diocesani contraria consuetudine excuserint. Ad utrumque probabiliter sufficit spatium decem annorum. Idem *ibid.* n. 3. & 4. Dummodo tamen consuetudo habeat conditiones à Jure requisitas, & jam assignatas tom. 2. verb. Consuetudine: Potest tamen aliquis à constitutionibus synodalibus eximi per dispensationem à superiore, aut ab Episcopo, ejusve successore obtentam, etiam inconsulto Capitulo, sed ut licita sit, requiritur justa causa. Idem *ibid.* num. 7. Constitutiones vero synodi Provincialis, nec Episcopos, nec Archiepiscopos relaxare possunt. Idem *ibid.* num. 8. Confirmata à Summo Pontifice in forma specifica non possunt ab alia synodo provinciali relaxari: Bene vero si confirmatio fuerit in forma communi. Idem num. 9. 10. & 11. Constitutionum synodalium vires non retardantur per appellationem ad Superiorem, eaque nullo modo est admitenda in suspensivo; nec prudenter in devolutivo. Idem *ibid.* num. 12. & 13. Si appellatio ad Sacram Congr. Conc. interponatur, satius erit, ut ejusdem D. Secretarius appellantes compellat ad designandas singulas constitutiones, contra quas reclamant, & ad assignandas rationes peculiare suarum reclamationum, quas significabit Sacra Congregatio, quæ sic rite instructa, provide decernet, an appellatio sit admitenda, vel potius rejicienda. Quam rectam methodum à se adhibitam fuisse, dum esset dictæ Congregationis Secretarius, fatetur in gravi controversia excitata adversus synodum Fulginatensem celebratam anno 1722. ab Episcopo Baptistello. Eoque pacto ex innumeris articulis ab appellatibus propositis, paucis selectis, visis aliqua discussione dignis, eisque dumtaxat Sacra Congregationis judicio subjectis, causam contra appellantes in omnibus obtinuit Episcopus, ut patet in eadem synodo typis impressa, pag. 285. Idem *ibid.* §. 13.

125 Cavere debet Episcopus, ne Clericos sub censuris, & multis compellat ad emendum codicem constitutionum synodalium; sed potius præcipere, ut eas crebro revolvant, memorie mandent, atque observent. Idem *ibid.* num. 13. afferens ad id decretum Sacra Congregationis Concilii in *Larinen. decretorum synodalium die 30. Augusti 1732.* Vide num. 61. ubi asseritur dictum decretum una simul cum aliis.

126 Synodis non omnes intervenientes subscribere debent, solus enim Episcopus, vel ejus Delegatus subscribendi jus habet synodo diocesana, solusque ipse in eo votum decisivum habet. Idem *ibid.* l. 8. cap. 2. num. 1. Vide supra num. 43. ubi asseritur ad id decretum Sacra Congregationis Concilii. Synodo Generali omnes Episcopi subscribunt uti Judices. Idem *ibid.* n. 2. Etiam Episcopi Titulares. Vide tom. 2. verb. Concilium art. 1. numer. 29. Etiam Abbates habentes proprium territorium, & jurisdictionem quasi episcopalem. Idem *ibid.* num. 5. Et aliquando etiam Superiores Generales Ordinum Regularium Synodis Generalibus subscripserunt, ut Concilio Florentino, & Tridentino. Idem *ibid.* n. 5. Vide verb. Concilium d. 1. num. 30. Synodo Provinciali subscribunt omnes Provincie Episcopi, uti Judices. Idem *ibid.* num. 4. Capitula autem, seu Canonici cathedralium non subscribunt, nec synodis provincialibus, nec diocesanis: In ipsis enim non habent votum decisivum, sed mere consultivum. Idem *ibid.* num. 7.

133 Synodus Generalis nullam vim obtinet, nisi sit à Summo Pontifice confirmata: Supremum enim iudicium in Synodo Generali est penes ipsum, qui nec majorem patrem Episcoporum, aliorumque suffraganorum sequi tenetur. Idem *ibid.* cap. 2. num. 3. Vide tom. 2. verb. Concilium art. 1. n. 56. Synodus provincialis debet prius recognosci, & approbari à Summo

Pontifice, seu à Sacra Congregatione Concilii. Idem *ibid.* cap. 3. num. 4. ubi ad id plura asserit exempla. Vide dict. verb. Concilium art. 2. numer. 50. Synodus provincialis quamvis à Summo Pontifice confirmata, non obstringit universam ecclesiam, nisi Pontifex expresse dixerit. Idem *ibid.* n. 5. Vide dict. art. 2. d. n. 52. & per tot. ubi plurima ad rem. Synodus diocesana non oportet, ut Romam mittatur, pro revisione, & confirmatione, sed sine alterius approbatione vim legis habet in diocesi. Idem *ibid.* num. 6. referens decretum Sacra Congregationis Concilii, quæ rogata, ut recognosceret Acta diocesanae synodi Stronogolensis die 17. Junii 1645. Respondit: *Se non consuevisse revocare, & approbare nisi Synodos provinciales, ex constitutione Sixti V. & quod idcirco Episcopus uteretur jure sibi ex Sacro Concilio competente §. 1. 17. Decretorum p. 384. & ibid. dict. num. 6. concludit expresse falli Cardinalem de Luca, & Van-Espeunium asserentes, diocesanas synodos robore, & efficacia careere, nisi à prædicta Sacra Congregatione approbentur.* Non enim Sacra Congregatio eas recognoscere consuevit, nisi quis ad ipsam ab iis appellet. Idem *ibid.* n. 7. Vide supra num. 46. & 47.

In fine synodorum fieri solent fausta acclamationes, & præsertim in fine Synodorum Generalium, uti videre est in Concilio Tridentino post sessionem vigesimam quintam *ibid.* De fine Concilii, & confirmatione petenda à Sanctissimo Domino Nostro.

Illustrissimi Domini, Reverendissimique Patres, Placet ne vobis, ut ad laudem Dei Omnipotentis hæc Sacra Œcumenice Synodo finis imponatur, & omnium, & singulorum, quæ tam sub fel. rec. Paulo III. & Julio III. quam sub Sanctissimo Domino Nostro Pio IV. Romanis Pontificibus, in ea decreta, & definita sunt, confirmatio nomine Sanctæ hujus Synodi per Apostolicæ Sedis Legatos, & Prææsidentes petatur à Beatissimo Romano Pontifice? Responderunt, placet.

Postmodum Illustrissimus & Reverendissimus Cardinalis Moronus, primus Legatus, & Prææsides benedicens Sanctæ Synodo, dixit.

Post gratias Deo actas Reverendissimi Patres ite in pace. Qui responderunt. Amen.

Acclamationes Patrum in fine Concilii.

CARDINALIS A LOTHARINGIA

Beatissimo Pio Papæ, & Domino Nostro Sanctæ Universalis Ecclesiæ Pontifici, multi anni, & æterna memoria.

RESPONSUM PATRUM.

DOMINE DEUS, Sanctissimum Patrem diutissime Ecclesiæ tuæ conserva, multos annos.

Card. Beatissimum Summorum Pontificum animabus Pauli III. & Julii III. quorum auctoritate hoc sacrum generale Concilium inchoatum est, pax à Domino, & æterna gloria, atque felicitas in luce Santorum.

Resp. Memoria in benedictione sit.

Card. Caroli V. Imperatoris, & Serenissimum Regum, qui hoc universale Concilium promovenerunt & protulerunt, memoria in benedictione sit.

Resp. Amen, Amen.

Card. Serenissimo Imperatori Ferdinando, semper Augusto, Orthodoxo, & Pacifico, & omnibus Regibus, & Rebuspub. & Principibus nostris multi anni.

Resp. Pium, & Christianum Imperatorem Domine conserva: Imperator coelestis terrenos Reges, rectæ fidei conservatores, custodi.

Card. Apostolicæ Romanæ Sedis Legatis, & in hac Synodo Præsidentibus cum multis annis magnæ gratiæ.

Resp. Magnæ gratiæ: Dominus retribuat.

Card. Reverendiss. Card. & Illustribus Oratoribus.

Resp. Magnas gratias & multos annos.

Card.

Card. Sanctiss. Episc. vita & felix ad Ecclesias suas reditus.

Resp. Præconibus veritatis perpetua memoria, Orthodoxo Senatui multos annos.

Card. Sacros. Œcumenica Trident. Synodus, ejus fidem confiteamur, ejus decreta semper servemus.

Resp. Semper confiteamur, semper servemus.

Card. Omnes ita credimus, omnes ipsam sentimus, omnes consentientes, & amplectentes subscribimus. Hæc est fides B. Petri, & Apostolorum, hæc est fides Patrum, hæc est fides Orthodoxorum.

Resp. Ita credimus, ita sentimus, ita subscribimus.

Card. His decretis inhaerentes, digni reddamur misericordii, & gratia primi, & magni supremi Sacerdotis, Jesu Christi Dei, intercedente simul inviolata Domina nostra Sancta Deipara, & omnibus Sanctis.

Resp. Fiat, Fiat, Amen, Amen.

Card. Anathema cunctis hæreticis.

Resp. Anathema, anathema.

Post hæc mandatum fuit à Legatis, & Præsidentibus sub pena excommunicationis omnibus Patribus, ut antequam discederent è civitate Tridentina, subscriberent manu propria decretis Concilii, aut ea per publicum instrumentum approbarent; qui omnes deinde subscripserunt, & fuerunt numero CCLV. videlicet Legati quatuor, Cardin. duo, Patriarchæ tres, Archiepiscopi XXI. Episcopi CLVIII. Abbates septem, Procurator. absentium cum legitimo mandato XXXIX. Generales Ordinum. VII.

Laus Deo.

Concordat cum Originali, in cujus fidem subscripsimus.

Ego Angelus Massarellus Episcopus Thelesinus Sacri Concilii Tridentini Secretarius.

Ego Marcus Antonius Peregrinus, Comensis ejusdem Concilii Notarius.

Ego Cyntius Pamphilus, Clericus Cameriniensis Diocesis, ejusdem Concilii Notarius.

Item in fine Conciliorum Provincialium, licet raro, ut advertit idem Benedictus *loc. cit. lib. 5. cap. 1. n. 10.* & afferunt prout factæ fuerunt in Concilio Provinciali Mediolanensi sexto, ut habentur impressæ in Actis dictæ ecclesiæ part. 8. pag. 1229. ultimæ impressionis Bergomensis, ibi:

Acclamationes Reverendissimorum Patrum in Concilio provinciali Mediolanensi sexto.

Archid. Deo Patri misericordiarum, & Deo totius consolationis gratiæ.

Resp. Immensa est misericordia tua super nos Domine, qui secundum multitudinem miserationum tuarum, nos Conciliorum Provincialium frequentia consolari jugiter dignatus es. Tibi laus, tibi honor, tibi gloria in seculum, & in æternum.

Archid. Beatiss. Gregorio Papæ & Domino nostro Sanctæ universalis Ecclesiæ Pontifici, cunctarum gentium obedientia, & Christiani nominis in omnem terram propagatio.

Resp. Domine Deus, Sanctiss. Patrem gratia tua custodi, ut eo gubernante, gentes Sancto vere Fidei lumine perfusæ, in unum ecclesiæ tuæ ovile colligantur.

Archid. Patriarchis, & Archiepiscopis, & Episcopis omnibus salutaris vigilantia.

Resp. Deus Pater luminum, illustra faciem tuam super servos tuos, accende corda eorum in ædificationem corporis tui.

Archid. Regi Catholico, & aliis Regibus, Principibusque Christianis perpetua felicitas.

Resp. Æterne Deus, Christianæ Religionis Defensoribus optabilem de hostibus Crucis Filii tui victoriam dextera potentie tuæ semper concede.

Archid. Fidelibus provincie nostræ, & populo christiano universo Pax Christi æterna.

Resp. Memento doming Deus in beneplacito populi tui, & confirma in omni virtute gressus ejus, perpetuumque tuæ benedictionis rorem illi infunde.

Archid. Reverendiss. hujus provincie Episcopo, ad ecclesias suas reditus cum spirituali fructu uberissimo.

Resp. Deduc nos, Domine, in viam rectam, & dirige gressus nostros in viam pacis, & ad dandam scientiam plebi tuæ.

Archid. Nos, Domine, operari in messem tuam missi, in omni opere bono ministerium nostrum expientes, decreta Sancta exequentes, digni reddamur misericordia, & gratia magni, & supremi Sacerdotis Jesu Christi Dei, intercedente simul beata ejus genitrice Maria, & Beato Ambrosio Confessore, atque aliis hujus Provincie patronis, & omnibus Sanctis.

Resp. Amen, Amen.

Acclamationibus de more absolutis, statim Reverend. Patres ordine singuli ad Illustriss. Metropolitanum adhuc in sessione persistentem pro osculo pacis accesserunt; quibus sigillatim Illustriss. Metropolitanus, dum appropinquarent, assurgens prævia mutua capitis inclinatione osculum impartitus est.

Tandem Illustriss. Metrop. deposita mitra, & assumpto baculo, surgens universæ synodo solemniter benedixit, & indulgentiam centum dierum concessit, ac postremo per Rev. Archidiaconum alta voce, *Redeamus cum pace*, enuntiatum est, & Responsum in nomine Domini. Et Sacras vestes in sessionali loco statim exiit Illustriss. Metrop. & Reverendiss. Patres, & ibidem facta brevi oratione, cum jam secunda hora noctis immineret, in aedes Archiepiscopales &c.

Post Acclamationes in Conciliis provincialibus, ut tradit Cæremonialis Episcopo. cap. 31. & notat idem Benedictus *loc. cit. num. 10.* omnes Episcopi accedunt ad osculum pacis à Metropolitanis accipiendum, quod deinde sibi invicem pariter dant, & accipiunt, ut matuam charitatem animorumque conjunctionem ostendant.

Etiam in fine synodorum diocesanarum aliquando fieri solent dictæ acclamationes, licet rarius, ut notat idem *ibid.* num. 11. ex Cæremoniali Episcoporum. *cap. 31.* in fine sic expresse concludente: *In synodis diocesanis magis expedit, ut acclamationes, & oscula pacis omittentur.* At quia nihilominus Gavantus in *praxi synodi diocesanae pag. 61.* ait: *Acclamationes sunt saltem in prima synodo, ut aliquando fiant, & cæremoniale non eas prohibet, sed parcius adhiberi censet in diocesanis synodis, adductis exemplis de acclamationibus factis in variis synodis diocesanis hinc inde celebratis, & tradita dispositione Concilii Provincialis V. Mediolanensis, prout in Actis Eccl. Mediolan. 1. pag. 279. ibi: Tum postea acclamationes sanctæ fiant ex formula ab Episcopo præscripta. Acclamationibus factis omnes Sacerdotes, & Clerici surgentes, cum reverentia osculum pacis ab Episcopo accipiunt, & sibi invicem dent cum timore, & amore Dei. Si vero Clerici convenerint, numerus is est, ut longius hic osculorum ducatur, ea ratio inest, ut Præpositi, & Archiepiscopi solum ab Episcopo illud accipiant, deinceps suo quique Clero dent, isque inter se mutuo item. Tandem ipsemet *loc. cit. num. 11.* in fine, sic expresse concludit: Verum cum hæc in Cæremoniali Episcopo nec præcipiantur, nec prohibeantur, liberum erit Episcopis ea vel facere, vel omittere, sicut fert cujuslibet diocesis consuetudo.*

Hinc ad exemplum traduntur acclamationes factæ in fine Synodi diocesanae XI. Mediolanensis ann. 1584. 147 Archiepiscopo S. Carolo Borromæo, & Summo Pontifice Gregor. XIII. prout traduntur in actis d. Eccles. part. 8. pag. 241. ibi: Acclamationes Cleri in synodo diocesana.

Archid. Deo patri Misericordiarum, & Deo totius consolationis, gratiæ.

Resp. Immensa est misericordia tua super nos, Domine, qui Conciliorum exercitationibus rectum Justitiæ tuæ tramitem, & disciplinæ regimen jugiter docere dignatus es. Tibi laus, tibi honor, Tibi gloria in seculum, & in æternum.

Archid. Beatissimo Gregorio Papæ, & Domino Nostro Sanctæ universalis Ecclesiæ Pontifici cunctarum gentium obedientia, & Christiani nominis in omnem terram propagatio.

Resp. Domine Deus Sanctissimum patrem gratia tua custodi, ut eo gubernante, gentes sancto veræ fidei lumine perfuse, in unum Ecclesiæ tuæ ovile colligantur.

Archid. Reverendiss. Archiepiscopo Nostro salutaris vigilantia.

Resp. Omnipotens Deus, super Antistitem nostrum benedictionum tuarum dona perpetuo multiplica.

Archid. Serenissimo Regi Philippo, christianæ religionis defensori, perpetua felicitas.

Resp. Aternæ Deus, Catholicum Regem nostrum in amore tuo conserva, ut cœlesti gratia tua auctus, omni tua benedictione perpetuo dilatetur.

Archid. Populo Mediolanensi Pax Christi æterna.

Resp. Memento Domine Deus in benedicto populi tui, ac perpetuum tuæ benedictionis rorem illi infunde.

Archid. Nos Dei voluntatem explentes, & sancta decreta in omni opere bono exequentes, digni reddamur misericordia, & gratia magi, & Summi Sacerdotis Jesu Christi Dei, intercedente simul Beata ejus Genitricis Virgine Maria, Beato Ambrosio Confessore Patre nostro, & omnibus Sanctis.

Resp. Amen. Amen.

Quibus absolutis Illustri. Archiepiscopi dedit omni- 148 bus Canonicis ordinariis Ecclesiæ Metrop. & Præpositis Collegiarum Ecclesiæ civitatis, & diocesis, & Vicariis Foraneis, & Syndicis regionum civitatis osculum Pacis; Et demum cum benedictione solemni, & publicatione Indulgentiarum dimisit universum Clerum.

Benedictus autem XIV. loc. cit. num. 9. acclamationes fieri solitas generatim recensens, sic expresse tradit: In fine Synodi fieri solent acclamationes, quibus Diaconus, ceteris respondentibus, omnem laudem, honorem, & gloriam refert Deo Patri misericordiarum, qui Spiritus Sancti invisibili gratia synodum dirigere, atque ad felicem exitum perducere dignatus est; Summo Pontifici universalem ecclesiam gubernanti, veram, & diuturnam prosperitatem; Episcopo synodo præsidenti, ejusque Ministris salutarem vigilantiam, & divinarum miserationum abundantiam; civitati, & oppidis diocesis pacem, animorumque concordiam, omniaque fausta precatur; supplicatque Deo, ut uberem opem elargiatur, qua singuli adjuti, edita in synodo decreta sancte, inviolateque custodiant, & exequantur.*

¶ Multa sane ad materiam hanc pertinentia addi 150 possent, sed & longum esset, & prosus inutile postquam æternæ, & gloriosæ memoriæ Benedictus XIV. tractatum edidit repetitæ præsertim prælectionis de Synodo diocesana. Eum igitur, ubi res postulat, adi.

IN HOC TOMO OMISSÆ, SUBNECTUNTUR.

Litera R, pagina 128. in fine columna 2. post num. 66.

Quælibet rescripta, dummodo exceptionem non patiantur, venire in supremis respectibus tribunalibus præsentanda antequam eorum executio intendatur, planè est patrefactum. (1)

(1) Vid. verb. Adjuncti, verb. Altare, verb. Alternativa, & verb. Confraternitas.

Pagina 136. col. 2. post num. 18.

Circa Parochorum residentiam convenit nostris legibus A. doctrina; (1) sed quoad Episcoporum, ne calamus detineatur, qui aliquid memoriæ mandare voluerit, additionem jam insertam perlegat. (2)

(1) L. 28. tit. 3. lib. 1. Porque los Clérigos que tienen Beneficios Curados es cosa justa, y necesaria que residan en ellos: mandamos, y encargamos a los Perlados de estos Reynos, que les señalen tiempo para que vengan á residir en ellos, y si no lo hicieren que no ganen los frutos de los tales Beneficios. (2) Vid. verb. Episcopus.

Pagina 145. col. 1. post num. 81.

Sæpissime repetit A. resignationis, permutationisque actum; superaddendum nihil restat circa Regi assensus præcedentiam præter quæ sunt jam prænotata, (1) dum de suo privato Patronatus jure, sive de universali beneficia resignantur; pariformiter in ultramarinis Insulis procedi videtur, nam cujuslibet renuntiationis conscius erit Vice-Patronus. (2)

(1) Vid. verb. Beneficium, (Vid. lit. D, pag. 72. in add. hisp. paginamque 289. lit. E, col. 1.)

(2) L. 51. tit. 6. lib. 1. Ind. Declaramos, y mandamos, que todas las renunciaciones de Curatos, ó Beneficios Eclesiásticos, se han de hacer siempre ante los

Prelados diocesanos, y ellos han de dar cuenta al Virrey, Presidente, ó Gobernador, que exerciere nuestro Patronato Real, para que conforme á él se provean, y así se execute en todas las Indias.

Litera S, pagina 314. num. 17.

Sequestrationem necessariam fieri posse quando Reus conventus est contumax, cum Actor jure suo nondum ostenso in possessionem mitti haud valeat, ab A. assertur. Nostra verò legislatione ad Rei contumaciam coercendam, & præcavendam, varia inveniuntur remedia: etiam sequestratio legitur inter illa: & quod magis est, custodia causa Actoris in possessionem ingreditur, eo quod verus efficiatur possessor, quamvis non clare doceat de jure suo. (1)

(1) Vid. verb. Actor.

Pagina 322. num. 15. in fin.

Quòd sigillum, ubi de ipso constat, probet, & fidem faciat absque propria subscriptione sigillantis, nisi aliud legibus, vel consuetudine constitutum fuerit, verè probabilis sit doctrina est A. Ad cognitionem eorum, quæ specialiter in Hispania circa Tabellionum signa observantur, materiam hanc redigendo, utpotè nullus alius præter eos in testamentis, scripturis, actisque judicialibus potest auctoritatem præstare, prætermisissis quamplurimis aliis solemnitatibus requisitis, acdisque judicialibus potest auctoritatem præstare, prætermisissis scripturis, Tabellionis signum absolutè est necessarium: (1) & ultra hoc, etiam astare debet subscriptio. (2) Ad acta civilia, vel criminalia, hæc sufficit sola: (3) adeo ut si in relatis scripturis utrumque deficiat, nullius erant firmitatis, Tabellionesque poenis subjiciuntur. (4)

(1) L. 54. tit. 18. p. 3. En toda carta que sea fecha por mano de Escribano público deben ser puestas los nomes de aquellos que la mandan hacer, é el pleyto, sobre que fué fecha en la manera, que las partes lo ponen entre sí, é los testigos que se acertaron, é el mes, é la Era, é el lugar en que fué fecha: é quando todo esto oviere escrito, debe dexar un poco de espacio en la carta, é dende ayuso hacer y su signo, é escribir y su nome: L. 32. tit. 3. lib. 1. Ibi: Mandamos, que los Notarios Eclesiásticos no den escrituras signadas, salvo de la forma que las dan los Escribanos Públicos de nuestros Reynos: L. 12. tit. 25. lib. 4. Mandamos á todos los Escribanos del Número, y Escribanos, y Notarios Públicos de nuestros Reynos, que siguen los registros de las escrituras, y contratos que hicieron y ante sí pasaron: lo qual hagan, y cumplan, só pena de diez mil maravedis para nuestra Cámara, y suspension de oficio por un año.

(2) L. 10. tit. 19. p. 3. Ibi: El Escribano debo lo hacer, é en el lugar do escribiere su nome en tal carta,

debe decir en ella; y Yo Fulan, Escribano Público fui presente en todas las cosas que dice en esta carta, é por ruego de las partes la escribi, é puse en ella mio signo: (3) L. 27. tit. 6. lib. 3. Item, que los Escribanos, así del Crimen, como de lo Civil: y que todas las sentencias, así civiles, como criminales, que sean firmadas de él, ó de sus Oñciales, que las dieren, y del Escribano ante quien pasaren: (4) L. 13. tit. 25. lib. 4. Ibi: Y que así dieren signadas, ni quiten, ni añadan palabra alguna de lo que estuviere en el registro, salvo la subscripcion: y que aunque tomen las tales escrituras por registro, ó memorial, ó en otra manera, que no las den signadas, sin que primeramente se asienten en el dicho libro, y protocolo, y se haga todo lo susodicho, só pena que la escritura, que de otra manera se diere signada, sea en sí ninguna, y el Escribano que la hiciere pierda el oficio, y dende en adelante sea inhábil para haber otro, y sea obligado á pagar á la parte el interese. Vid. verb. Scriptura.

Quod hinc in regnis, Prælati sit habendi sigillum facultas, consonat: (1) at verò Regis Insignibus nî nemini licet, (2) aliter verò, penis stabilitis non eximitur.

- (1) L. 3. tit. 17. lib. 8. Mandamos, que qualquier que falseare nuestros sellos, ó el sello de qualquier Arzobispo, ó Obispo, u otro qualquier Prelado, por que es alevoso, pierda la mitad de sus bienes para la nuestra Cámara. Remis. 12. tit. 18. ejusd. Alevoso es el que falsea sello del Rey, ó Prelado.
- (2) L. 8. tit. 1. lib. 4. Ivi: Mandamos, y defendemos que de aquí adelante ningun Caballero, ni otra persona alguna, puesto que sea constituído en qualquier título, ó dignidad seglar, no traiga, ni pueda traer en todos los nuestros Reynos, y Señorios Corona sobre el Escudo de sus Armas, ni traiga las nuestras Armas Reales derechas, ni por orlas, ni por otra manera diferenciadas: (Lii. 1, pag. 179. in. nov. col. 2. prope fin.)

FINIS

que de aquí adelante ningun Caballero, ni otra persona alguna, puesto que sea constituído en qualquier título, ó dignidad seglar, no traiga, ni pueda traer en todos los nuestros Reynos, y Señorios Corona sobre el Escudo de sus Armas, ni traiga las nuestras Armas Reales derechas, ni por orlas, ni por otra manera diferenciadas: (Lii. 1, pag. 179. in. nov. col. 2. prope fin.)

que de aquí adelante ningun Caballero, ni otra persona alguna, puesto que sea constituído en qualquier título, ó dignidad seglar, no traiga, ni pueda traer en todos los nuestros Reynos, y Señorios Corona sobre el Escudo de sus Armas, ni traiga las nuestras Armas Reales derechas, ni por orlas, ni por otra manera diferenciadas: (Lii. 1, pag. 179. in. nov. col. 2. prope fin.)

que de aquí adelante ningun Caballero, ni otra persona alguna, puesto que sea constituído en qualquier título, ó dignidad seglar, no traiga, ni pueda traer en todos los nuestros Reynos, y Señorios Corona sobre el Escudo de sus Armas, ni traiga las nuestras Armas Reales derechas, ni por orlas, ni por otra manera diferenciadas: (Lii. 1, pag. 179. in. nov. col. 2. prope fin.)



